

ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas nummulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit, et dixit eis: Scriptum est: domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam, speluncam latronum. Verum quamvis negotiationes et contractus profani in ecclesia fieri prohibeantur, consequenter sicut illiciti, tamen ibidem facti valent, et subsistunt; uti incit. c. *Decet*. 2, h. t. in 6, §. *Processus*, bene conservat Glossa, et docet cum communiori aliorum Abbas, eo quod contractus hujusmodi nulli irritentur in jure sicut irritantur processus et sententiæ, c. *Cum Ecclesia*, 5, h. t. cujus capituli constitutio cum sit odiosa, non est extendenda, arg. c. In pœnis, et c. *Odia*, de Reg. jur. in 6.

16. *Exceptis, qui fiunt ad promovendam devotionem fidelium, uti est venditio candelarum. Observatio practica.* — Porro non tantum validi, sed etiam liciti sunt in ecclesiis, ac cœmeteriis contractus illi, qui principaliter fiunt ad promovendam devotionem fidelium; qualis est venditio candelarum. Sylvester, §. *Immunitas*, 1. q. 2, §. *Quinto*; Azorius, part. II, lib. IX, cap. ix, q. 5; Pirhing, h. t. n. 12; Angelus, et plures alii: dummodo fiant sine strepitu, et perturbatione, aut impedimento cultus, et Officii divini; nec principaliter intendatur lucrum: hoc enim, ubi concurreret, procul dubio negotiationes in ecclesiis illicitas redderet, etsi aliqua pro cultu divino distraherentur, arg. c. *Decet*, 2, h. t. in 6, ibi: « Quæcunque possunt turbare officium, sunt prorsus extranea: » idque, conformiter exemplo Christi qui *Matth.*, xxi. reprobavit negotiationes in ecclesia factas, licet per eas vendebantur, quæ pro sacrificio serviebant: quia nempe per eas impediabantur orationes, et cultus divinus in domo Dei. Hinc fit, quod etiam sacra, seu potius materia sacrorum v. g. Numismatum, imaginum, et aliorum ad devotionem servientium vendentes stent extra ecclesiam, prout bene observat loc. cit. Sylvester.

17. *Omnes actus profani, profanaque colloquia in ecclesiis sunt prohibita.* — IV. Universaliter ferme omnia vana, ac profana, præsertim quæ divinum cultum, aut officium aliquo modo turbare possunt, aut ejus reverentiæ contraria sunt, in dictis locis specialiter sunt prohibita: prout ex sequentibus juris textibus liquet, ut c. *Cum decorem*, 12. de Vita et honest. cleric. ubi prohibentur in

ecclesiis fieri profani ludi theatrales, præsertim in larvarum monstris, can. *Non oportet*. 4. dist. 42. ibi: « Non oportet in ecclesiis apagen facere, et intus manducare, et accubitus sternere, » c. 2. h. t. in 6 ibi: « Nullus in eisdem locis, in quibus cum pace, et quiete vera convenit celebrare, seditionem excitet, conclamationem moveat. impetumve committat. Cessent in locis illis universitatum, et societatum quarumlibet concilia, conciones, et publica parlamenta. Cessent vana, et multo fortius fœda et profana colloquia. Cessent confabulationes quælibet: sint postremo quæcunque alia, quæ divinum possunt turbare officium, aut oculos divinæ majestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea. » Simili modo statuit concilium Tridentinum, sess. 22. in *Decreto de Observandis, et evitandis in celebratione Missæ*, ibi: « Ab Ecclesiis vero musicas eas, ubi sive organo, sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur, etiam sæculares omnes actiones, vana, atque adeo profana colloquia, deambulationes, strepitus clamores arceant, ut domus Dei vere domus orationis esse videatur, ac dici possit. » Alia ratio allegatur, in cit. c. 2. h. t. n. 6. videlicet, quia *Domum Dei decet sanctitudo*: et ne ubi « peccatorum est venia postulanda, peccandi detur occasio aut deprehendatur, peccata committi. »

18. *Vim inferentes ecclesiæ, et eam consulentes, etc., laedunt immunitatem, ac subjacent pœnis.* — V. Specialiter prohibitum, ac contra immunitatem etiam localem est, ecclesiæ vim, aut violentiam inferre, infringendo v. g. ejusdem fores; et multo magis recipiendo illius bona, arg. can. *Omnes*. 5. can. *Sicut*. can. *Quisquis*. 21. cau. 17. q. 4. ubi transgressores non tantum sacrilegi dicuntur, sed etiam excommunicantur, et quidem ipso facto, si cum effractione spoliatio fiat. Concordat, c. 22. de *Sentent. excommunicat.* et ibi Glossa, §. *Excommunicatos*. Pariter sacrilegi sunt, et pœnis juris subjacent consulentes, et mandantes, ac alio modo cooperantes ad ecclesiarum violationem, arg. cit. *Omnes*. 5. cau. 17. q. 4. et ibi Glossa, §. *Consentiunt*.

19. *In ecclesiis liciti sunt actus pietatem respicientes: ac dispensationes publicæ.* — Resp. II. Licite, ac valide in ecclesiis, ac cœmeteriis, aliisque locis sacris fieri possunt actus extrajudiciales, vel voluntariæ jurisdictionis omnes illi, qui pietatem, aut devotionem

respiciunt, vel promovent. Barbosa, lib. II, *Jur. Eccles. univ.* cap. III, n. 11 et 12. Abbas, in c. *Cum Ecclesia*; 5. h. t. n. 6; Pirhing, eod. n. 11. Hinc in specie, licita ibidem sunt pia ac honesta spectacula; Sylvester, loc. cit. n. 7. ad finem, arg. can. *Semel*. 51. de *Consecrat.* q. 2. Item disputationes litterariæ publicæ, eo quod scientia donum Dei, et res sancta, ac necessarium sit medium ad pietatis et virtutum opera rite peragenda. Ex qua ratione licite in ecclesiis conferuntur gradus doctoratus, aut magistrarii. Abbas, loc. cit.; Azorius, loc. cit. q. 4; Joan. Andreas, in c. *Decet*. h. t. in 6. et communis, arg. 1. I. §. *Proinde*. ff. de *Variis, et extraordinar. cognit.* Licet item ibidem est pupillo, et minori tutorem, ac curatorem dare. Ancharanus, in cit. c. *Cum Ecclesia*. 5. h. t.; Azorius, part. II, lib. IV, cap. IX, q. 3. quia hoc importat actus pietatis.

§ II.

DE JURE, SEU IMMUNITATE ASYLI: AC DE LOCIS, QUIBUS COMPETIT.

Diximus in præcedenti paragrapho n. 6, immunitatem ecclesiarum, seu localem præter jam enumeratum etiam illud habere effectum, quod confugientes ad loca sacra malefactores tuti sint in vita, et membris: qui effectus jus, seu immunitas asyli dicitur: de quo specialiter præsens, et sequentes Paragraphi erunt.

20. *Jus asyli, quid?* — Quæritur I. Quid sit immunitas, seu jus asyli, et quo jure introductum habeatur? Resp. I. Jus, seu immunitas asyli est jus ecclesiis, et sacris, necnon aliis quibusdam locis competens, confugientibus ad ea malefactoribus securitatem præstans ad hoc, quod inde violenter extrahi non possint, nec in vita, nec in membris puniri valeant. Est in re communis, arg. c. *Inter alia*. 6. h. t. cujus textum vide n. seq. et patebit ex dicendis infra. Solum interea notanda verba, « Necnon aliis quibusdam locis, » ad denotandum, non solum ecclesiis, et locis sacris, sed et aliis profanis quoque quibusdam locis ex privilegio apostolico competere posse jus asyli, prout infra.

21. *Est constitutum jure civili ac canonico.* — Resp. II. Jus, seu immunitas asyli, est jure duntaxat humano civili, et canonico introductum, non item naturali, nec divino.

Covarruvias, lib. II, *Variar. resolut.* cap. xx. n. 2; Layman, lib. IV, tract. IX, cap. III, n. 1, q. 1; Suarez, tom. I. de *Relig.* lib. III. cap. VIII, n. 9; Sannig, h. t. cap. II; n. 1; Zoesius, h. t. n. 6; Engel, h. t. n. 7; Pirhing, eod. n. 15, cum communi aliorum, quos jam secuti sumus in nostra *Theologia morali*, tract. XII, dist. 2, n. 2, contra Delbene de *Immunitate et jurisdiction. eccles.* cap. XVI, dub. et n. 2. ubi illud juris naturalis esse asserit, et contra Fagnanum, in appendice, de *Immunitat.* cap. II. n. 9. Decium, et Tuschum, existimantes esse juris divini positivi. Probatur conclusio imprimis, quod sit juris humani civilis, et canonici, ex toto titulo præsertim l. 2. 3. et 6. C. de *His, qui ad ecclesias confugiunt*, et novell. 17, cap. VII, et c. *Intra*. 6. h. t. ibi: « Fugiens ad ecclesiam quantumcumque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab ecclesia extrahendus, nec inde damnari ad mortem, vel ad pœnam (corporalem), ut habet ibi Glossa, §. *Puniendus*, sed rectores ecclesiarum sibi obtinere debent membra, et vitam: super hoc tamen, quod inique fecit, est alias legitime puniendus. » Concordat, c. fin. eod. item can. *Mirror*. 8. can. *Reum*. 9. can. *Nullus*. 19. can. 20. et plures alii cau. 17. q. 4.

22. *Non item naturali. Jus naturale semper firmum ac immutabile permanet.* — Probatur, quod de jure divino naturali non sit, quia, ut argumentatur Covarruvias, loc. cit. licet jure divino naturali præceptum sit, Deum colendum, sacrisque locis reverentiam esse exhibendam, tamen ex hoc rite non infertur jus asyli: cum extractio rei a loco sacro, ut debitas luat pœnas, quantum est ex se, nec contra cultum divinum, nec contra reverentiam sacro loco debitam militet, nec intrinsece mala, sed potius conformis sit juri divino naturali, volenti, ut crimina debitis coerceantur pœnis, et non maneant impunita; cum alias hono publico, ac innocentibus contra malefactores per dictum jus sufficienter non esset provisum. Confirmatur: si jura asyli essent de jure divino naturali, nunquam potuissent, nec adhuc possent mutari; quia « jura naturalia semper firma, » et immutabilia permanent, ut dicitur. §. *Sed naturalia*. 11. Instit. de *jure natural. gent. et civili.* nec potuissent ab aliquo etiam Papa minui, immutari, aut dispensari; cum inferior in legem superioris nullam habeat potestatem, Clem. *Ne Romani*

de *Elect.* Neque potuissent consuetudine abrogari, aut eis in aliquo derogari, utpote quæ contra jus divinum nihil valet, c. fin. de *Consuetud.* Atqui jus asyli per bullas Pontificum fuit immutatum; quoad certa crimina et personas restrictum, ac limitatum, textu claro c. *Inter alia*. 6. h. t. et patebit adhuc magis ex Bulla Gregorii XIV, alleganda infra n. 82. Fuit insuper eidem variis in locis consuetudine derogatum, teste Barbosa, lib. II. *Jur. Eccl. univ.* cap. xx. 82; Layman, lib. IV, tract. IX, cap. III, n. 2, et alii; ergo. His accedit textus cit. c. *Inter alia*. 6. h. t. ubi Pontifex vult in materia asyli procedendum ac distinguendum esse « juxta sacrorum statuta canonum, et traditionem legum civilium, » consequenter non juxta jus divinum naturale.

23. *Nec est de jure positivo divino.* — Probatur tandem, quod neque jure divino positivo fuerit institutum; quia nulla similis lex, aut jus positivum, aut traditio ab apostolis accepta extat: quamvis enim in Antiquo Testamento per legem positivam divinam certa loca habuerint jus asyli, tamen, quia hæc lex fuit una inter cæremoniales (quæ una cum judicialibus per legem gratiæ expirarunt) et a Christo in Novo Testamento renovatum nullibi reperitur, nihil contra conclusionem probat.

24. Objicies concilium Tridentinum, sess. 25. de *Reform.* cap. xx. ubi ait: « Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitatem NB. Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus constitutum esse. » cui concordat, c. *Quanquam*. 4. de *Censib.* in 6. ubi etiam contraria consuetudo vocatur *Corruptela*, et textus Augustini, sermon. 5. de *Dedicat. Eccles.* ubi asserit; « Grandem injuriam religionis, et Divinitatis offensam esse quæcumque fugientem ad domum Dei a sacris liminibus, id est, de sinu matris evelle, et arcam communis expugnare refugii. » Resp. Concordando jura juribus, textum concilii Tridentini, et c. *Quanquam*. non loqui de *Immunitate locali* Asylorum, sed de immunitate ecclesiastica, stricte dicta, reali nempe ac personali, id est de immunitate personarum ecclesiasticarum, et rerum, ad eas, vel ad ecclesias pertinentium, quam de jure divino esse ipsimet docemus infra. Quod si quis contendat, saltem concilium Tridentinum, loc. cit. (nam c. *Quanquam*, aperte loquitur de immunitate reali ac personali) etiam de jure asyli loqui; Resp. con-

cilium plus non velle, quam quod loquendo de jure asyli, id ad imitationem legis divini veteris, divinoque instinctu per canonicas sanctiones fuerit constitutum: qua responsione duplici etiam alia similia jura solvuntur ac debent: tum ob fundamenta n. 22 et 23. allegata: tum ut, quod fieri oportet c. *Cum expediat. de Election.* in 6. jura juribus concordentur.

25. *Contrarium est probabile. Immunitatis asyli violatores de jure civili plectuntur capite.* — Fatendum nihilominus, quod licet sententia conclusionis nostræ communior sit, ac probabilior videatur, tamen etiam contraria dicens jus asyli etiam in Novo Testamento esse juris divini naturalis, vel positivi, non improbabilem esse: tum ob textus præced. n. citatos: tum quia apud omnes fere Gentes vigeat, prout patet non solum ex integro tit. c. de *His, qui ad Eccles. confug.* sed etiam ex jure regio Francorum, et Hispanorum, teste Gonzalez, in c. *Inter alia*. h. t. n. 9. et legibus Longobardorum, ac capituli Caroli Magni apud Tholos.; Syntag. lib. XXXIII, cap. XXI. et XXII; legibus Gothorum, apud Joan. Magnum, lib. XXIII. *Hist. Goth.* cap. XXI. et XXII; Anglorum apud Polyd. Virgil. lib. I. *Hist. Angl.*; Saxonum Occidentalium, aliarumque Gentium, ut videre est apud Covarruviam, loc. cit. cap. xx; Gonzalez, loc. cit. et alios, ex quo non obscure desumitur, instinctu et lumine naturali dictante æquum, justum, ac debitum fuisse judicatum, ob reverentiam ecclesiis, et locis sacris debitam, illuc confugiens malefactores extrahi non posse, sed tutos in vita, et membris esse. Confirmatur ex gravitate poenarum transgressoribus constitutarum etiam a jure civili, utpote quod eos, qui contra « Jus asyli aliquid moliri, aut facere, aut nuda saltem cogitatione atque tractatu ausi fuerint tentare, capitali, et ultimi supplicii animadversione plectendos esse, » in terminis præcipit l. *Præsenti*. 6. C. de *His, qui ad Eccles. confug.* Imo l. 2. c. eod. sancit asyli violatorem « majestatis crimine esse retinendum, » quæ poenarum gravitas æquitatem et obligationem naturalem legis non obscure innuit.

26. *Contra jus asyli valet consuetudo.* — Cæterum ex conclusione inferitur cum Barbosa, lib. II, *Jur. Eccles. univ.* n. 82; Engel, h. t. n. 9; Covarruvia, et aliis, quod circa jus asyli attendi etiam possit, ac debeat consuetudo legitime præscripta, hoc ipso,

quod non sit de jure naturali, nec divino, sed duntaxat humano, contra quod valida et licita est consuetudo, c. fin. de *Consuetud.* Nec obstat, quod ad talem consuetudinem deficiat expressus consensus Papæ, et consuetudo contra immunitatem ecclesiasticam videatur a jure reprobata, ac annullata, c. 4. de *Censib.* in 6, et in judicio contradictorio nunquam sit asserta aut confirmata, ob quæ fundamenta Sperel, decis. 103, n. 45; Gutierrez, *Pract. quæst.* lib. I, q. 1, n. 12, et alii putant, juri asyli in nullo derogari posse. Nam contra est, quod consuetudine etiam contra legem legitime inducendam non requiratur expressus principis consensus; nec judicium contradictorium, prout amplius diximus lib. I, tit. IV, de *Consuetud.* § 5, n. 136, 139 et 146. Jura autem consuetudinem contra immunitatem ecclesiasticam reprobantia, vel annullativa loquantur de immunitate locali, ac personali, non item locali asylorum; vel si etiam de hac mentionem faciant, annullent solummodo consuetudines præteritas, non item futuras, quæ licite et valide induci possunt contra legem, etsi per clausulam « non obstante quacunque consuetudine » præcedentes consuetudines sint sublata, uti pariter patet ex dictis lib. I, tit. IV, de *Consuetud.* ac docet cum aliis Pirhing, eod. n. 66.

27. *Dummodo non nimium id lædat. Facta non præsumuntur sed probari debent.* — Fatendum nihilominus cum Engel, h. t. n. 9, non esse huic consuetudini favendum, si juri asyli nimium deroget, vel id ex toto tolleret, eo quod non tantum jure canonico ac civili firmiter sit constituta, sed etiam moribus gentium ab omni ævo stabilita, ac insuper in ratione venerationis ecclesiis, locisque sacris debitæ fundata, indeque ad dictamen aliquod naturale prope accedat, prout diximus n. 25. Illud certum est, quod in dubio consuetudo contra jus asyli non præsumatur, sed probari debeat; cum sit facti: factum autem regulariter non præsumitur, sed indiget probatione, arg. l. 2, ff. de *Probat.* et l. 1, c. eod. juncto c. *Cum in jure, de Offic. et potestat. judic. delegat.*

28. *Asylo gaudent omnes ecclesiæ auctoritate episcopi erectæ, etiam non consecratæ: etsi interdictæ sint, aut pollutæ.* — Quæritur II. Quænam loca gaudeant immunitate, seu jure asyli? Resp. sequentia: I. Omnes ecclesiæ auctoritate episcopi erectæ. Communis ac certa per jura n. 21, citata, etsi non-

dum sint consecratæ, textu expresso c. *Ecclesie*. 9, h. t. ejus textum vide supra n. 7. Imo, etsi in iis divina adhuc non sint celebrata, prout docent n. 7, citati doctores per jura ac rationes ibidem allegatas. Proccedit conclusio, licet ecclesia aliqua sit interdicta, aut violata, seu polluta. Abbas in cit. c. *Ecclesie*. 9, h. t. n. 8; Layman, lib. IV, tract. IX, cap. III, n. 2; Sylvester, *Immunitas*. 1, q. 1, dicto 2; Pirhing, h. t. n. 3, eo quod tales censuræ, ac juris impedimenta utpote odiosa et poenalia non debent extendi ultra casus expressos, arg. c. *In poenis*, et c. *Odia. de Reg. jur.* in 6.

29. *Item omnia eidem adhærentia loca et ædificia, uti turris, campanile, porticus, atrium, etc.* — Porro ad ecclesiam reducuntur, jureque asyli gaudent cuncta illa loca, quæ ecclesiæ fabrica, eique interius et exterius conjuncta seu adhærentia, atque ad eam spectantia ædificia comprehendit, uti sunt sacristia, turris, atrium, porticus, campanile, etc. Barbosa, lib. II, *Jur. Eccles. univ.* cap. III, a n. 62; Layman, lib. IV, tract. IX, cap. III, n. 2; Tuschus, *Eccl. concl.* 9, n. 1 et 7, et concl. 10, arg. 1. *Pateant*. 3, c. de *His, qui ad eccles. confug.* et can. *Id constituimus*. 37, cau. 17, q. 4, ibi: « Ecclesiastici canones, et lex Romana constituit, ut ab ecclesiæ atriis reos abstrahere omnino non liceat, » juncto can. *Si quis contumax*. 20, ead. caus. et q. ibi: « Si quis contumax, aut superbus timorem Dei, vel reverentiam sanctarum ecclesiarum non habuerit, et fugientem de atrio ecclesiæ, vel de porticibus quomodolibet ecclesiæ adhærentibus per vim abstraxerit, etc. publica poenitentia mulctetur. » Concordant can. *Sicut antiquitus*. 6, can. *Quisquis*. 21, et can. *Definivit*. 35, ead. caus. et q. Ratio est, quia quæ religiosis adhærent, religiosa sunt, l. *Quæ religiosis*. 43, ff. de *Rei vindicat.*

30. *Adhærens muro ecclesiæ, vel tenens januam ejus, vel sectes, gaudet asylo.* — Nec obstat, quod in præfatis locis contingens incuriosa sanguinis, vel seminis effusio non violet, vel polluat ecclesiam; consequenter hæc loca nomine ecclesiæ non videantur venire. Nam contra est, quod licet specificata loca in odiosis, cujusmodi est violatio ejusdem, non veniant nomine ecclesiæ, veniant tamen in favorabilibus, qualis etiam est immunitas ejus localis; quia odia restringi, et favores convenit ampliari, c. *Odia*. 15, de *Reg. jur.* in 6.

Ob paritatem rationis jure asyli gaudet, ita ut violenter abstrahi non valeat, qui ad ecclesiam fugere volens, clausam ejus januam reperit, indeque saltem januam, vel ejus seram, aut vectes tangit. Barbosa, loc. cit. n. 65; Layman, loc. cit.; Covarruvias, lib. II, *Variar. resolut.* cap. xx, n. 18; Jacob. Pignat. tom. VI, consult. 4, n. 81, et seqq. ubi ad propositum affert declarationes, ac decreta sacre Congregationis presentis tenoris: « Innixus stipiti portæ ecclesiæ gaudet immunitate, in Amerina 28 maii, 1628. » Item « Evadens e manibus birruariorum, et adhærens valvis ecclesiæ, gaudet immunitate, in Firmana 13 julii 1637. » Item, « Tenens annulum valvarum ecclesiæ, gaudet immunitate, 7 septembris 1638. » Idem, et quidem eo magis dicendum est de existente in tecto ecclesiæ, Barbosa, loc. cit. n. 18; Diana, part. III, tract. I, resolut. 73; Sperel. decis. 63, n. 3.

Idem dic de eo, qui aliam partem ecclesiæ exteriorem v. g. parietem ejus tangit. Barbosa, loc. cit. n. 65; Diana, loc. cit.; Bonacina, disp. 3, in *Decalog.* 3, punct. 4, n. 5; Riccius, in *Praxi.* tom. III, resolut. 560, n. 8; Navarrus, in summ. Bull. *de Immunitate*, n. 16, ac plures alii; tum quia privilegia immunitatis sunt amplianda c. *Odia. de Reg. iur.* in 6; tum quia talis revera jam adhæret loco sacro ecclesiæ; tum etiam et vel maxime, quia jus asyli ad quadraginta vel plures passus per circuitum ecclesiæ extenditur, can. *Sicut antiquitus.* cau. 17, q. 4, ac magis dicitur infra. Et quamvis non desint contrarium tenentes, tamen non video, quo fundamento solido, præsertim cum eorum plures admittant, apprehendentem, vel tangentem clausas portas ecclesiæ, vel ejus vectes tenentem, item existentem in tecto, vel scalis ecclesiæ asylo gaudere; non enim apparet, cur tangens januam ecclesiæ gaudeat asylo, et non gaudeat tangens parietem ejus; cum hæc non minus ac illa sit pars ecclesiæ, et tangens parietem non minus dicatur adhære loco sacro, quam tangens ecclesiam, aut in ejus scala, vel tecto existens: nec major apparet ratio ampliandi et extendendi jus asyli tanquam quid favorabile ad tangentem portas ecclesiæ clausæ, quam ejus parietem, consequenter quod de uno, etiam de altero dicendum videatur, hoc ipso, quod ubi non diversa, sed eadem est ratio, eadem sit legis dispositio, l. *Non possunt.* ff. *de Legib.* Et ita

bina jam vice declaravit sacra Congregatio apud Jacob. Pignat. tom. I, consult. 4, n. 82, illis verbis: « Adhærens muro ecclesiæ gaudet immunitate in Amerina, 18 februarii 1632, et in Camerin. 13 julii 1638, » post has declarationes, ac decreta non amplius audiendi sunt contrarium docentes, vel in dubium vocantes, quibus consentire videtur doctissimus R. P. Jacobus Wiertner in suo jure asylo p. 2, a. 1, a. n. 19.

31. *Existentis intra quadraginta passus ab ecclesia majori, vel triginta ab ecclesia minori, gaudet asylo.* — Insuper ad ecclesiam quodammodo reducitur, et immunitate asyli gaudet spatium terræ per quadraginta passus ecclesiæ majori, seu cathedrali, et per triginta passus ecclesiis minoribus, vel capellis adjacentibus; Covarruvias, loc. cit. n. 5; Fagnanus, in c. *Ecclesiæ.* h. t. n. 16, et ibi Abbas, n. 10; Sylvester, *Immunitas.* 3, n. 1; Barbosa, in c. *Sicut antiquitus.* 6, cau. 17, q. 4, et ibi teste Fagnano doctores omnes, arg. cit. can. *Sicut antiquitus.* 6, cau. 17, q. 4, ibi: « Statuimus, ut major ecclesia per circuitum quadraginta passus habeat: capellæ vero, vel minores ecclesiæ triginta qui personam inde subtraxerit, excommunicetur. » Concordat can. *Definivit.* 35, ead. cau. et q. et atrobique Glossa.

32. *Etsi ecclesia in civitate, non item si intra muros castelli existat.* — Verum hoc jure asyli non gaudent ecclesiæ, vel capellæ, « quæ sunt intra ambitum murorum castelli, » uti expresse habetur can. *Quisquis.* 21, cau. 17, q. 4, et observat Glossa in c. *Sicut antiquitus.* ead. cau. et q. atque docet Fagnanus, loc. cit. n. 17; Covarruvias, loc. cit. n. 5; Sylvester, loc. cit. et alii communiter. Ratio est, quia hoc in talibus ecclesiis, vel capellis ob angustiam loci observari regulariter non potest, eo quod alias immunitas subinde totum castrum absorberet, hocque totum asyli jure gauderet: quæ ratio cum non procedat de ecclesiis, vel capellis intra muros civitatum, vel oppidorum existentibus, neque illas, uti existentes intra muros castellorum quoad adjacentes passus ab immunitate excludat, imo nullam de eis mentionem faciat cit. can. *Quisquis.* 21, cau. 17, q. 4, ideo præfate ecclesiæ, et capellæ etiam intra muros civitatis, vel oppidi existentes, jure asyli in circuitu dictorum passuum æque gaudent, ac existentes in pagis, aut apertis campis, uti contra Archidiaconum, in cit. can. *Quisquis.* (quem secutus

est Haunoldus, *de Jur. et just.* tom. VI, n. 152) bene docet Covarruvias, cit. lib. II, *Variar. resolut.* cap. xx, n. 5, et sequuntur reliqui doctores citati, ac merito; quia lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda, c. 22, *de Privileg.* ac ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus. Accedit declaratio sacre Congregationis apud Jacob. Pignatell. tom. VI, consult. 6, n. 87, edita in Narnien. 17 julii 1663. « Captus in platea ecclesiæ cathedralis gaudet immunitate: » per quam aperte improbari videtur sententia Archidiaconi, et Haunoldi, hoc ipso, quod ecclesiæ cathedrales a fortiori in civitatibus muro cinctis existant. Et hinc quæ in *Theologia nostra morali,* tract. XII, dist. 2, n. 9, sequentes Archidiaconum diximus, quoad ecclesiis intra muros civitatis positas, presentis doctrinæ conformiter correctum volumus.

33. *Quomodo computentur passus dicti, si cœmeterium ecclesiæ contiguum est?* — Licet Archidiaconus in can. *Si quis contumax,* cau. 17, q. 4, et Abbas, loc. cit. n. 19, docere videantur, in ecclesiis habentibus contiguum cœmeterium, vel murum cingentem, dictos passus stricte non esse numerandos, sed illud solum spatium, quod muro ambitur, vel in quo cœmeterium consistit, asylo gaudere, adeo ut si tale spatium solummodo viginti v. g. passus comprehendat, spatiorum reliquorum viginti vel decem passuum extra, non amplius attendatur. Tamen Fagnanus, loc. cit. n. 18, citans Joan. de Visch, *de Immunitate Eccles.* n. 59, verius judicat immunitatem etiam extra illud spatium extendi, si ecclesiæ cœmeterium, aut ambitus muro circumdatus quadraginta in majori, aut triginta in minori ecclesia non continet; ut proin in casu, quo ecclesiæ majoris cœmeterium solummodo triginta minoris vero ecclesiæ viginti v. g. contineat passus, etiam in spatio decem passuum extra cœmeterium quis asylo gaudeat, arg. cit. can. *Sicut antiquitus.* et can. *Definivit.* cau. 17, q. 4. Quod si vero cœmeterium ecclesiæ designatos juris passus jam contineat, vel superet, utique exterius spatium asylo non gaudebit; cum jura tantum ecclesiæ, non item cœmeterio adjacenti spatio quadraginta vel triginta passuum concedant jus asylo.

34. *Domus quoque clericalis interjacens, non item laicalis gaudet asylo.* — Illud etiam Fagnano, loc. cit. et aliis adverten-

dum, privilegium dicti spatii non se extendere ad domos extraneas laicales, quæ infra dictos passus existunt, arg. cit. can. *Definivit.* bene vero ad domos clericorum ministrorum ecclesiæ can. *Quisquis.* 21, cau. 17, q. 4, ibi: « Vel domos (clericorum nempe Glossa, ibid.) quæ intra dictos passus fuerint. » Cæterum sicut qui fugiens venit ad præfatum spatium quadraginta vel triginta passuum penes ecclesiam asylo gaudet, sic etiam, qui postquam ad ipsam ecclesiam confugit, et in ea existit, eodem gaudet, etsi egrediatur ecclesiam, et moretur, vel deambulet intra dictum spatium, ita ut inde violenter abstrahi non possit; dummodo non sit, vel deprehendatur in domo extranea laicali intra memoratum spatium quadraginta vel triginta passuum existente; prout expresse dicitur cit. can. *Definivit.* 45, cau. 17, q. 4, cui consonat concilium Toletanum, 12, quod can. 10, ita statuit: « His ipsis, qui ecclesias, per omnia licitum in triginta passibus ab ecclesia procedi, in quibus triginta passibus eujuscunque ecclesiæ in toto circuitu defendatur. » Hoc etiam inde patet, quod non sit major ratio, cur ab extra fugiens ad sæpe dictum spatium gaudeat asylo, et non ab ecclesia ad illud rediens, ibique maneat, et e contra; ergo.

35. *Intra præfatos passus gaudet quis asylo, sive ab extra illuc fugiat, sive ab ecclesia progrediatur.* — Imo Haunoldus, *de Jur. et instit.* tom. VI, n. 152, docet illos tantum, qui ad ecclesiam asyli fruendi gratia jam confugerunt, ibique existunt, in præfato spatio quadraginta vel triginta passuum gaudere juri asyli, si ex ecclesia, ubi existunt, ad illud necessitatis naturalis causa exeunt, vel progrediuntur, arg. can. *Definivit.* 35, cau. 17, q. 4. Verum hæc doctrina adversatur non tantum can. *Sicut antiquitus.* 6, cau. 17, q. 4, ubi indistincte cuius infra spatium quadraginta vel triginta passuum existenti conceditur jus asyli, sed etiam sacre Congregationis decreto, quo pariter indistincte jubetur servari asylo intra spatium quadraginta vel triginta passuum, saltem in cathedralibus, ac collegiatis ecclesiis, uti videre est apud Fagnanum, loc. cit. Item et alia sacre Congregationis declaratio supra n. 32, allegata. Insuper adversatur doctoribus citatis, et communissimæ aliorum, præsertim in cit. can. *Sicut antiquitus;* imo ibidem, omnium, teste Fagna-